



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

IV. Ad Ingredientes Religionem sacram.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)



horrorem alterius; horrore autem peccatorum quid sanctius? Ut in eo crescamus, *psalmos pœnitentiales* offeramus. Plangamus præterita, ut non committamus amplius plangenda. Ecce misericordiæ Domini! Misericordiæ Domini! Quia non sumus consumpti.

EXHORTATIUNCULA IV.

Pro Ingredientibus sacram Religionem.

I.

**U**Nde? Dilecte mi! Siccine à sæculo ad Christum? Laudo sanctum, & firmum propositum. At non sufficit, mundum reliquisse corpore; huic & animò atque affectibûs moriamur, necesse est. Si in sæculo fuimus superbi: vivamus jam humiles religiosi, si iracundi, & impatientes: jam simus mansueti, & fortes; si temporalibus addicti: nunc Deo, & cœlestibus immerfi. Et hæc est vera Conversio sui. **J**ESUM quærimus? Ergo quæ JESU non sunt, abjiciamus.

*Instructio meritoria.*

Pro singulari gratia vocationis, & hujus constantia dicamus officium minus de SSS. Trinitate cum Psalmo: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Additò hoc perenni amoris, & recognitionis pacto: manè, & noctu quotidie duodecies osculandi terram sub dicto: *Domine! Quid est homo, quod memor es ejus? Aut filius hominis, quoniam visitas eum?*

II. Fi-



## II.

**F**ili! jam cantemus Domino, & jubilantes cum Psalte regio dicamus: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Gaudeamus, jam nobis non licere amplius, quod cum animæ detrimento licuisset in sæculo. O quàm felicitè, & promptè extremam præstolatur diem, & horam, quem dulcis cellula ab omni tumultu, & vanitate sæculi abstulit, vivumque sepelivit Deo. O quàm sancta, quàm pura, & immaculata est religio, in qua vivimus purius, cadimus rariùs, quiescimus securius, morimur suaviùs! Ecce! Quàm beata religiosorum fors!

*Instructio meritoria.*

Teneamus! Ne alius surripiat nobis. Publicum fugiamus! Oculos claudamus! Vanitates horreamus, & sedentes cum pœnitente S. Maria Magdalena ad pedes Domini, recitemus psalmum: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Addamus duodecim Pater, & Ave, ut spiritu plusquàm Apostolico erudiamur in lege Domini, & in testimoniis JESU Christi.

## III.

**M**emento charissime Neoconverse! Te & Christianum, & religiosum jam esse, & hoc ipso ex titulo obligatum gravissimè ad renuntiandum nugis, & pompis sæculi. Dabit sola renuntiatio, quæ nec recreationes, nec commestationes, nec lusus, nec vitæ laxioris li-

Hh § bertas



bertas dare possunt. Perdere corpus cum anima possunt: salvare, & quidem æternum non possunt. Studium virtutis, & Dei servitium damnavit neminem. Unde ergo è numero hominum tot descendentes ad inferos? Quia erraverunt à statu suo, credentes sæculo, resistentes Evangelio, rebelles Jesu Christo. Hinc gemitus illi: ergo erravimus à via veritatis? Lassari sumus in via iniquitatis. Quid hoc ô Novelle? sequemur & nos? Ah! Ah! Reddant nos aliena pericula cautos.

*Instructio meritoria.*

Ut fiat, his tribus se potissimum applicet. 1. Profundæ humilitati in prosperis. 2. Conformationi omnium actuum ad vitam Christi in dubiis. 3. Exercitio amoris Dei super omnia in adversis. Ad signum Salutationis Angelicæ in dies singulos roget gratiam sacræ Professionis, inserendo cuilibet Ave votum Angelicæ Castitatis, perfectæ Obedientiæ, & religiosæ Paupertatis. Crescunt desideria rememorandò: Crescant & nostra!

EXHORTATIUNCULA V.  
Pro Generaliter Confitentibus.

I.

**M**isericordiæ Domini! Misericordiæ Domini!  
Quia non sumus consumpti: O fili! diu dilectam quæsivit oviculam Pastor bonus; diu vestram expectavit animam dulcis Jesus. Tandem! Tandem inter brachia, inter vulnera video,